

masius o) Cl. Junckerus p) de Scudery q) aliique in tantis earum catalo-
gis otium nobis jam pridem fecerint. Nec opus esse arbitramur sua
Heroinis in literas & arma jura altius vindicare, cum eadem dudum
Virginem Mediolanensem Oratione r) sat eleganti pro libertate literarum
ad Matronas Virginesque suæ urbis habita; & non Incelebrem Dn. Es-
bergium S. Theol. Doct. & Græc. Lit. Prof. in Academia Upsaliensi præ-
terlapso modo anno Dissertatione quadam s) satis propugnasse intel-
lexerimus.

§. VI. Specialior potius Cultus Heroinarum, quo tantæ, qua
excelluerunt, virtutis famam ad posteros transferri voluerunt, earum
cultores, nunc instituenda est consideratio. Etenim cum utrique se-
quiori æque ac masculo sexui idem in virtutes jus competat: merito
etiam utrique sexui idem ex virtutibus, quas colunt, honos resultare
statuitur. *Habet quippe, Ciceronis* t) verba sunt, *venerationem justam
quicquid excellit: & sol quidem, Pontano* u) teste, *terram & cælum ra-
diis suis illustrat, honor vero, hominum actiones & facinora præclarissima.*
Unde instar phœnicis virtutem post fata etiam esse superstitem innuit
Ovidius: x)

- - *Cum me summus adusserit ignis,
Vivam Parsq; mei magna superstes eris.*

Sic etiam *Joannes Audenus* fere cecinit:

*Omnia cum pereant est virtus sola perennis:
Hac immortales reddere sola potest.*

Comprobant hanc immortalitatem tot præclara antiquitatis monu-
menta, quorum in evolutione nostra nunc industria defudabit. Non

im-
cui Tit. *Femmes Heroiques comparees avec les Heros Paris 1669.* m)
de Eloziis feminarum Illustrium. n) *Histor. Mulier. Philosoph.* Lug-
dun. 1690. o) *Diss. de Feminarum eruditione* p) *Centur. Femin. E-*
rud. q) *Les Femmes illustres ou les harangues Heroiques, a Paris.*
r) *in Puteani Orationibus Orat. IV.* s) *cui Tit. Mulieres Philosophantes*
leviter adumbrans exercitium Academicum, eiq; præfixa est elegantis-
sima a Matrona eruditissima, Sophia Elisabetha Brennern exarata e-
pistola. t) *de Nat. Deor. I.* u) *I. de Magnan. I.* x) *L. 1. Amor*
Eleg. 15.